FLORA.

№ 34.

Regensburg. 14. September. **1844.**

Inhalt: Hasskarl, Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes.

Klein. Mittheilungen. Comptes rendus hebdomad. des séances de l'académie des sciences. Tom. XVIII. Semestre I.

Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes. Auctore J. C. Hasskarl.

Adnotatio.

Quas citavi *Diagnoses meas novas* Nro. etc., sunt plantarum genera et species novae aut reformatae javenses in Beiblätt. ad Floram s. bot. Zeitg. 1842 Nro. 1. — 4. p. 1 — 56.

Hsskl. Adnot. sunt: Adnotationes de plantis quibusdam javanicis nonnullisque japonicis haud rite cognitis e Catalogo horti bogoriensis excerptae. Accedunt nonnullae species novae. In Vrolyk et de Vriese Tydschr. voor Natuurk. Geschied. et Physiol. X. 2. et 3. (Mrt. 1843 typis express.)

Hsskl. Catal. est Catalogus horti bogoriensis Bataviae impressus, quem ad finem per typographiam ducere mihi haud licitum fuit, morbis gravibus e Java insula quasi expulso. — Restat saltem Supplementum ad Catalogum cum indice systematico et vernaculo, quos amic. Zollinger absolvere mihi promisit.

Reliquae de plantis javanicis a me communicatae adnotationes reperiendae sunt: *Decades plantarum* rariorum vel minus cognitarum hort. bog. in Vrol. et de Vriese Tydschr. voor Natuurk. Gesch. et Phys. V. 255. — 271. et IX. 115. — 180.

Leguminosarum quarundam javensium descriptiones novae aut emendatae in Beibl. ad Floram s. bot. Zeitg. 1842. 4. — 8. p. 57. — 114.

Papilionacearum quarundam javanicarum descriptiones accuratiores in Vrol. et de Vriese Tydschr. etc. XI. (nondum edit.) p. 49. — 112.

Chrysobalaneae R. Br. Endl. Gen. 1251.

Parinarium glaberrimum Hsskl. Adn. et Cat. hrt. Bog. 1184. 1.

Quoad Gen. cf. Hsskl. Diagn. nov. 189.

Cyclandrophora Moquilea subg. c. Endl. Gen. 6410. Sppl. III. — Ob sta-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0163-8

minum numerum germinisque loculos binos et drupae corticem fibrosam *Parinario* potius quam *Moquileae* adjungendae species haec cum sequente, ni utrumque genus conjungendum erit; differt autem nostra petalis 4 nec 5 et germinis basi calyci semiadnata! — Endl. Gen. 6411.

Quoad speciem cf. Hsskl. Diagn. 189, Catal. l. c.

Diagn. Arbor vasta, foliis alternis ovatis s. ovato-oblongis breviter acuminatis basi subcordatis integerrimis glaberrimis lucidis, inflorescentia axillari racemoso-corymbosa.

Adn. Ab omnibus affinibus (cf. DeC. Prdr. II. 526. et Wlp. Reprt. II. 7.) foliis glaberrimis nec pilosis sat distincta. *Petrocarya excelsa* Jack. (Wlp. Reprt. l. c.) habitu nostrae similis videtur sed sat diversa (ni aliis!): germine dein cum calyce concrescente, staminibus 11, et embryo albuminoso inverso.

Descrpt. Arbor vasta; truncus teres, cortice parum rimoso, atro-brunneo; rami densi erecto-patentes; folia alterna ovata, aut ovato-oblonga breviter acuminata, basi subcordata, subsessilia integerrima coriacea glabra supra lucida atro-viridia 8 — 11 poll. longa, 3 — 4 — 5 poll. lata; inflorescentia axillaris racemoso-corymbosa 2 — 3 poll. alta subtomentosa densa; flores 2-bracteati, brevipedunculati; bracteae deciduae ovatae aut oblongae acutae; calyx ochraceus campanulatus, desinens basi in tubum obverse oviformem pedunculo adnatum; limbus 5-partitus; laciniae inaequales obovatae acutae, altera cucullata, tubum subaequantes 0,3 — 0,5 poll. longae persistentes aestivatione imbricatae; faux annulo staminifero et intra annulum germinis villis subclausus; corolla 4-petala; petala aestivatione imbricata, calycis fauci inserta, decidua inaequalia, obovato-cuneata s. obovata, basi lilacina apice albida, dein patentia 0,6 — 0,7 poll. longa; stamina 12 — 16 ad unicum alterumque floris latus; filamenta basi in annulum connata, primo inflexa lilacina dein erecto-adscendentia rubentia subulato-filiformia 0,8 poll. longa persistentia; antherae oblongae incumbentes luteae biloculatae, loculis longitudinaliter dehiscentibus; germen stipite calycis tubo lateraliter adnato impositum, in fauce calycis *semi*liberum villosissimum biloculatum; gemmulae solitariae intra loculos e basi erectae; stylus basilaris rectus filiformis filamenta superans; stigma truncatum; fructus subsolitarii aut 3ni 4-nive subracemosi basi calycis emarcidi laciniarumque hujus rudimentis cincti drupacei; drupa ovoidea 2,5 poll. longa, 1,5 poll. crassa, sarcocarpio fibroso leviter rimoso cano-fusco, putamini adnato, 0,25 poll. crasso, putamine lignoso; putamen (sterile nunc biloculatum seminibus 2 ab-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0164-4

ortivis, fertile) uniloculatum indehiscens, monospermum; semen erectum sessile ovoideum s. subellipticum rectum rugoso-reticulatum exsuccum, integumento membranaceo guttulis oleosis luteo-brunneis tecto; embryum exalbuminosum; cotyledones crassissimae subincarnatae conferruminatae sese involventes sebaceae, sapore oleoso, leviter amaro (an potius: embryum albuminosum, albumen crassissimum subincarnatum conferruminatum subbipartitum; cotyledones tenues albumini intus adnatae albido-subincarnatae? (cf. adnotationes hasce ad Barringtoniam macrocarpam Hsskl. p. 594.)); radicula basilaris subconica brevissima.

Sundenses, Javae insulae occidentalis incolae montani, arborem hancce ac sequentes *Kisokka* (arborem Pavettae similem) nuncupant.

Parinarium scabrum Hsskl. Catal. 1184. 2.

Diagn. Altior, vasta, foliis ovato-oblongis acuminatis basi acutis scabris.

Rosaceae Juss. Endl. Gen. 1240. Ench. 658.

Rosa flavescens Hrt. Hsskl. Catal. hort. bog. p. 265. (R. hybrida Std. Nomcl. ed. II.)

Diagn. Suffruticosa humilis, aculeis rameis raris sparsis recurvis, petiolis aculeatis, stipulis adnatis angustis apice patentibus, foliolis 3—5 ovatis s. ovato-oblongis coriaceis glabris acutis crenulato-serratis subtus glaucescentibus; floribus terminalibus solitariis, pedunculo et calyce muriculato-puberulis, calycis tubo subgloboso, limbo reflexo tubum plus 3plum longo, laciniis integerrimis, petalis sat magnis flavescentibus plurimis.

Affinis R. pygmaeae Bieb. DeC. Prdr. II. 604. 32 videtur!

Rubus rosaefolius Sm.

Quoad spec. cf. Wlld. Sp. pl. II. 1080. 1.; Sprg. Syst. Veg. II. 527. 2 ex parte; DeC. Prdr. II. 556. 1. Bl. Bydr. 1107., cujus diagnosis optima, sed foliola inciso-duplicato-serrata basi hinc pinnatifida 1—2 poll. longa, 0,7—1,0 poll. lata!

Rubus fraxinifolius Poir.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. II. 556. 3. et Bl. Bydr. 1107.; fructibus grandibus puniceis, forma iis Fragariae chilensis Ehrh. β. ananassae Duch. similibus. Sundenses hanc speciem cum antecedente nomine *Bomberrettian* salutant.

Rubus acuminatissimus Hsskl. Catal. hrt. bog. 1180. 4. et Adnot 1183. 4.

Diagn. Frutex scandens ramis glaberrimis, aculeis recurvis,

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0165-0

foliis pinnatis glabris supra substrigulosis concoloribus, foliolis 3 (—5?) superne solitariis, ovato-oblongis acuminatissimis setaceo-serrulatis, nervo medio aculeatis, stipulis lineari-subulatis, racemis axillaribus subterminalibus 3-floris, pedunculis glabris aculeatis, laciniis calycinis oblongo-lanceolatis acuminatis.

Rubus moluccus parvifolius Rmph. herb. amb. V. p. 88. t. 47. 1. certe huc revocandus (nec ad R. parvifolium L. Wlld. Sp. pl. II. 1083. 9. DeC. Prdr. II. 564.) etsi ico folium unicum quinquefoliolatum exhibet et lacinias calycinas ovatas acutas, descriptionem noster plane quadrat. — Wght. et Arn. Prdr. I. 299. 920. hanc iconem similem dicunt *R. lasiocarpo Sm.*, a *R. parvifolio L.* eorum opinione plane distinctam; ipsi autem enarrant, Roxburghium in msc. hanc pro suo *R. paniculato* aut *Roxburghiano Wll.* habuisse. *R. lasiocarpus Sm.* e descriptione Wght. et Arn. differt ramis tomentosis, foliolis 3—7, subplicatis ovatis, obovatis s. lanceolatis, subtus albidis tomentosis, irregulariter dentatis et serratis.

Speciem hancce cum sequentibus Sundenses nomine *Haröüs* vocant, robustioribus harum cognomen *badak* i. e. robustus addunt, quia *badak* Rhinocerotem significat, animal certe sat robustum!

Rubus alceaefolius Poir.

Quoad spec. cf. Sprng. Syst. Veg. II. 531. 46. DeC. Prdr. II. 567. 100. Bl. Bydr. 1109. An *R. chrysocephalus Rnwdt.* Bl. Cat. 76. huc revocandus? — Wght. et Arn. hanc speciem cum *R. rugoso Sm.* in unum conjungunt (Prdr. I. 299. 921.) an jure? conf. Bl. Bydr. l. c. diagn., cui addenda habeo haecce:

Rami teretes flexuosi (nec angulati DeC. l. c.; Sprg. l. c.); petioli patentes 0,5—1,5 poll. longi; folia 4,0—5,5 poll. long., ad basin 3,5—4,5 poll. lata, subtus in nervis (nec solummodo in nervo medio! Bl.) aculeata; stipulae setaceo-bipinnatifidae; bracteae magnae, oblongo-ovatae, margine setaceo-fissae; calycis laciniae imbricatae, margine setaceo-appendiculatae; petala alba stylos longitudine vix superantia marcescentia persistentia; styli capillares terminales (Grtn. frct. I. 350.), nec laterales (DeC. l. c. 556. Sprg. Gen. 2075.) aut sublaterales (Bl. l. c. 1107.); stigma capitatum; baccae aggregatae coccineae.

Nomen sundense: *Haröüs badak* et sequenti commune.

Rubus moluccanus Rmph. L.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. II. 566. 97. Bl. Bydr. 1109., cujus diagnosin novam, frustra in Wlprs Rprt. quaesitam, hisce paucis emendatam vellem: Foliis cordatis, lobatis (nec cordato-subtrilobis) supra rugosis hirsutis!

Rubus glabriusculus Hsskl. Diagn. nov. 188. Catal. hrt. bog. 1180. 12.

Diagn. Foliis cordatis acuminatis integris serrato-dentatis in

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0166-5

nervis utrinque puberulis, ramulis teretibus puberulis; aculeis sparsis retrorsis, stipulis pinnatifidis, pedunculis?... Frutex scandens.

Rubus pubinervis Bl.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 1110. Wlp. Rprt. II. 20. 36. cui in Catal. hrt. bog. adjeci haecce: Rami floriferi inermes eorumque folia magis rotundata reperiuntur; rami uberiores steriles valde armati una cum foliis pube minutissima, tactu autem facillime distinguenda, tecti sunt.

Rubus glomeratus Bl.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 1111. Wlp. Rprt. II. 20. 37. addenda haecce: Ramulis teretibus tomentosis *pilis glanduliferis*, aculeis *atrosanguineis*, laciniis calycis *subciliato-incisis* (nec subintegerrimis). Nomen sundense: *Haröös mienjak* quod verbum ulterius *oleum* significat et ideo rebus lucidis adponitur.

Pomaceae Lndl. Endl. Gen. 1236. Ench. 655.

Rhaphiolepis indica Lndl. DeC. Prdr. II. 330. 1. Hsskl. Diagn. nov. 186. Catal. hrt. bog. 1177. 1.

(Mespilus spiralis Bl. Bydr. 1102. Wlp. Rprt. II. 54. 8. Rhaphiolepis spiralis G. Don. Wlp. l. c. 57. 1.)

Rhaphiolepis japonica Sbld. et Zcc. Wlp. Rprt. II. 57. 2.

(Mespilus Sieboldi Bl. Bydr. 1102. Wlp. Rprt. II. 54. 9. Rhaphiolepis Sieboldii Hsskl. Diagn. nov. 187. Adnot. 1177. et Catal. hrt. bog.)

Myrtaceae R. Br. Endl. Gen. pag. 1223. Ench. 649.

Leptospermum javanicum Bl. Bydr. 1100. Wlp. Rprt. II. 923. 6.

Folia autem potius obovata, obtusiuscula mucronata reperiuntur; flores glomerati terminales, aut subsolitarii axillares; calycis laciniae ovatae acutae petaloideae saepe persistentes; calyx fructifer plerumque glaber. L. porophyllo valde affinis nostra species. (DeC. Prdr. III. 228. 13.) Nomen sundense *Tjantiegie*, nomen omnibus fere fruticibus arboribusque in summo montium cacumine enatis commune.

Sonneratia acida L.

DeC. Prdr. III. 23. Wght. Arn. Prdr. I. 327. 1008. Brappat rubra Rmph. amb. III. 112. t. 40. Rheed. mal. III. t. 40. In omnibus hisci citatis calyx 6-fidus, corolla 6-petala laudantur, pariter et bacca 25-loculata (haud 10—15-) placentaria nec subglobosa.

Ramuli tetragoni, juniores 4-alati; folia obovata s. ovali-obovata subcuneata coriacea glaberrima; flores 8-meri; petala atrosanguinea

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0167-1

linearia; stamina in alabastro inflexa coccinea; stylus contortuplicatus flavescenti-viridis, stigma viride; bacca placentaria apice styli basi persistente acuminata, 25-loculata. — In delineatione citata Rumphii pariter jam a facie lacinias calycis 6—5 conspicimus, baccamque magis depressam quam globosam etsi nostra magis depressa videtur! —

Ad littora meridionalia Javae occidentalis saepius provenit arbor haecce mediocris ob flores elegantissimos pariter insignis ac turionibus mire inter se connatis et truncum paternum cingentibus, quae ulteriores *Bapasangan* appellantur dum ipsa arbor nomine *Bidata* gaudet.

Psidium pumilum Vhl. Bl. Bydr. 1092. DeC. Prdr. III. 332. Wght. et Arn. Prdr. I. 328. 1011.

Cujavillus Rmph. hrb. amb. I. 145. t. 49. Burmanni citatum: Fl. Ind. p. 114. certe differt. — Rumphius arbusculum dicit vix 2—2,5 ped. altum, quod in horto bogoriensi cultum 8 pedum altitudinem attingit. Folia subtus nec candicantia nec rufa sed pallide viridia et dense tomentosa, obsolete pellucide punctata, nunc lineari-lanceolata nunc lanceolata. Nomen sundense: *Djambu tjina* (Jambosa chinensis) s. Dj. lümbut (J. humilis).

Psidium Guajava Raddi.

α. pomiferum Raddi. (Ps. pomiferum L. Bl. Bydr. 1093. DeC. Prdr. III. 234. Wght. et Arn. Prdr. I. 328. 1013. Rmph. amb. I. 142. t. 48. Cujava agrestis.)

β. pyriferum Raddi. (Ps. pyriferum L. DeC. Prdr. III. 233. Wght. et Arn. l. c. 1012. Cujava domestica Rmph. hrb. amb. I. 140. t. 47.)

Utraque varietas in fruticetis humilioribus Javae quasi spontanea, et pariter in hortis ob fructus edules colitur, et certe haud specifice est distinguenda. Nomen sundense: *Jambu klutuk;* nom. malaicum *Jambu bidjie bidjie* i. e. Jambosa seminibus copiosis. Decoctum aut infusum corticis radicum vulgo ad sanandam dysenteriam chronicam, statu acuto praeterito, adhibetur, pariter ac infusum foliorum imoque fructus cocti.

Myrtus tomentosa Ait.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6316.b. Sppl. III. p. 103. Hsskl. Diagn. nov. 146. Hsskl. Catal. 1164.

Quoad spec. cf. Bl. Bydr. 1081. DeC. Prdr. III. 240. Wght. et Arn. Prdr. I. 328. 1014. (Rhodomyrtus Hsskl. Diagn. nov. 146. Catal. 1164. 1.)

Descript. Caulis fruticosus ramis junioribus puberulis; stipulae 0; folia inferiora 3na, ramorum et superiora opposita brevi-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0168-7

petiolata, late ovata s. subrotunda elliptica supra dein glabra, subtus glauco-tomentosa, 3plinervia, nervis lateralibus margine parallelis eique approximatis, venis inter nervum medium et laterales rete formantibus; rami inflorescentiae abbreviati 1—2-rarius 3-flori axillares, e gemmula florifera axillari abortiva dichotomi; ad dichotomiam bibracteati, bracteae foliaceae parvae; pedunculi ramulis longiores, ad calycis basin bracteolas binas gerentes; bracteolae ovatae concavae calyci adpressae persistentes; calyx turbinato-urceolatus ad faucem paulo contractus; tubus germini adnatus, limbus 5—6-partitus lobis subrotundis patentibus, binis majoribus; corolla 5- (aut anamorphosi staminum 6—8-) petala, decidua una cum staminibus rosea; petala extus cum calyce sericeo-tomentosa obovata subconcava, lobis calycinis alterna; margine ciliolata patentia; stamina plurima cum petalis calycis fauci et disco epigyno inserta decidua; filamenta tota libera, exteriora majora, filiformia apice subulata; antherae ovatae, dorso supra basin affixae versatiles, biloculatae minutae luteae, loculi lateraliter rima longitudinali dehiscentes; germen calyci adnatum vertice liberum 3—4-loculatum; gemmulae in loculis 2-seriatim dispositae, in quaque serie 10—12 superpositae centrifugae; stylus brevis basi incrassatus puberulus, versus apicem attenuatus, deciduus; stigma capitatum globoso-sublobatum villosum; fructus bacca turbinato-subglobosa puberula, calycis limbo vegeto persistenti coronata 3—4-loculata; cicatrix carpica subconvexa orbicularis, versus marginem cicatricibus 5 linearibus, calycis lacinias alternantibus, cincta; intra cicatrices hasce series 5—10 cicatricum punctiformium et in centro cicatricula stylaris minuta; loculorum series quaeque 9—12-sperma; semina sessilia horizontali-depressa centrifuga hippocrepica tuberculata brunnea; testa crustacea; embryum exalbuminosum curvato-subfalcatum cylindricum; cotyledones minutae semicylindricae; radicula cotyledonibus 2plo longior. Species haecce etsi in hortis saepius ornamenti causa colitur attamen e China allata videtur, uti et nomen sundense *Harendong sabrang* (Melastoma exoticum) indicat.

Syzygium caryophyllifolium DeC. Prdr. III. 260.

(Calyptranthus Wlld. Bl. Bydr. 1089. Jambosa ceramica Rmph. hrb. amb. I. 130. t. 41. Clss. Wight et Arnott sequentes Hamilton (Prodr. Ind. or. I. 329. 1015.) hanc speciem cum *S. Jambolano* DeC. conjungunt, Rheedii iconem (mal. V. t. 29.) citant, quae certe S. Jambolano affinior, Rumphii autem citatum huc haud pertinere dicunt (cf. et Wlp. Rprt. II. 179. 10.) Mihi autem

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0169-5

utraque species sat distincta videtur et jam Roxburgh (secundum Wght. et Arn.) fructus minores globulares in hac specie descripsit ac delineavit, quos in S. Jambolano evidenter oblongos curvatos habemus. Similitudo foliorum in plantis hujus affinitatis saepius magna est, nec autem hoc unico signo species judicari possunt. Sundenses hanc arborem *Kitembaga* (lignum cupreum) nuncupant ob colorem ligni fabricati, et *Kisierüm* (lignum formicarum) quod nomen utrumque multis Myrtaceis est commune dum *S. Jambolanum* DeC. aut *Jamblang* aut *Duat* appellatur.

Syzygium pyrifolium DeC. Prdr. III. 261. 21. (Calyptranthus Bl. Bydr. 1090.)

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6320. qui semen globosum laudat, in hac ac sequenti specie oblongum, et radiculam brevissimam, quam in hac cylindricam seminis fere longitudine habemus. — Pariter germen est 2—3-loculatum, gemmulis paucis tantum in quovis loculo!

Quoad spec. cf. l. spr. cit. Rheedii icon (mal. V. t. 29.) huic speciei magis affinis quam antecedenti, attamen majori jure forsan ad *S. Jambolanum* ducenda erit. — Folia saepe obovata basi angustata breviter obtuseque acuminata, summa saepius subrotundo-obovata mucronulata glaberrima, subtus pallida, supra lucida; germen 2—3-loculatum, loculi pauciovulati; fructus oblongo-obovati virides dein sanguinei maturi nigrescenti-atrosanguinei; semen oblongum; cotyledones atrovirides peltatae subcontortuplicatae; radicula cylindrica longitudine fere seminis toti. Nomen sundense: *Kitembaga.*

Syzygium Jambolanum DeC. Prdr. III. 259. 7.

β. subobtusum DeC. l. c. 260. Calyptranthus Wlld. Sp. pl. II. 975. 4. Bl. Bydr. 1091. DeCandollius sectioni primae suae adjunxit speciem hanc, quae ob fructus oblongos secundae adcensenda. De conjunctione hujus cum *S. caryophyllifolio* DeC. cf. speciem primam hujus generis. — Jamba lana Rmph. herb. amb. I. 131. t. 42.

Folia 3—5 poll. longa, 2—3,5 poll. lata, petiolis pollicaribus flexuosis; paniculae patentes; flores dein subumbellati subsessiles; calyx coloratus albescens limbi margine rubente; limbus longe supra germen productus persistens; operculum corollaceum saepe lateraliter adhaerens; stamina calycis margini inserta; germen in fundo calycis minimum toro tenui calycis limbum intus obtegente tectum; bacca semipollicem vix superans olivaeformis incurva, calycis limbo persistente cyathimorpho coronata, edulis, dein violacea, carne albida; cotyledones virides laeves peltatae. — Nomen sundense: *Doeat*, malaicum: *Jamblang.*

Eugenia Reinwardtiana DeC. Prdr. III. 267. 36. (Myrtus Bl. Bydr. 1082.)

Frutex 8—10-pedalis; rami teretes cinerascentes patentes gra-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0170-6

ciles, juniores gracillimi rufi; folia opposita brevipetiolata, petiolo vix lineari, elliptica aut oblonga, basi acuta, apice obtuse acuta aut acuminata 1,5 — 2,3 poll. longa, 1,0 — 1,3 poll. lata, coriacea glaberrima supra lucida atroviridia subtus pallidiora punctata; flores in axillis squamarum foliacearum ramulorum juniorum quasi ad latera petiolorum in pedunculo filiformi vix pollicari gracili glabro; calycis tubus minutus subglobosus 8-sulcatus et inter sulcos carinatus glaberrimus lucidus; limbus 4-partitus patenti-reflexus; laciniae oblongae obtusiusculae supra concavae 0,2 poll. longae minutissime ciliatae; petala 4 candida obovata, basi vix attenuata, supra concava patentia, calycis limbum vix superantia, laciniis hujus alterna et fauci inserta; stamina plurima disco epigyno inserta, petalis breviora, erecta aut adscendentia; filamenta filiformia albida apice subulata incurva; antherae ovatae introrsae supra basin dorso affixae biloculatae, longitudinaliter ad latus utrumque dehiscentes; germen tubo calycis adnatum biloculatum; gemmulae in quovis loculo plurimae; stylus erectus filiformis apice subulatus; stigma punctiforme; fructus baccatus diametro pollicari; bacca globosa, crassissime 8-costata carnosa, primo viridis, dein aurantiaca, matura coccinea succosa, laciniis calycinis vegetis erectis conniventibus viridibus coronata, uniloculata monosperma; semen nephroideo-globosum.

Jambosa purpurascens DeC.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 286. 5. Wght. et Arn. (Prdr. I. 332. 1035.) hanc speciem a *J. malaccensi* DeC. haud diversam censent, additis citatis Rheed. mal. I. t. 18. *Jambosa domestica* Rmph. amb. I. 121. t. 37. et *J. nigra* Rmph. l. c. 125. t. 38. 1. Haec ulterior certe potius ad nostram speciem revocanda erit et nescio, quomodo DeCandollium errasse dicunt autores (Wght. et Arn. l. c.), qui flores *J. malaccensis* DeC. albos laudat; cf. adnot. ad spec. seq. — Cf. etiam Brm. Fl. Ind. 114. *Eugenia malaccensis*, quae e citato Brm. Thes. zeyl. 125. „fruct. cerasiformis“ huc pertinere non potest, uti vult Wlld. Sp. pl. II. 959. 1. — In Catalogo hrt. Bog. false Rumph. amb. I. t. 38. 1. ad *J. malaccensem* citavi!

Arbor mediocris; rami crassi teretes, cortice crasso suberoso cinerascente; petioli semiteretes crassi 0,5 poll. longi glaberrimi; folia opposita elliptica, basi leviter attenuata, apice breviter acuminata, glaberrima supra splendentia, integerrima, 7 — 14 poll. longa, 2 — 3,5 poll. lata; cicatrix petioli in ramo semiorbicularis; gemmae foliigerae terminales compressae lanceolatae 0,25 poll. longae glabrae; inflorescentia fasciculato-cymosa trichotoma abbreviata lateralis 5 — 9-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0171-2

flora; pedunculi brevissimi inferiores 0,2 — 0,3, superiores 0,1 poll. longi crassissimi; calycis tubus turbinatus basi attenuatus, faux ultra germen producta dilatata obovata viridis; limbus rubens 4-fidus patens, lobis subrotundis concavis; corolla 4-petala purpurea; petala fauci calycis summo inserta, subrotundo-concava; stamina numerosissima; filamenta petalis longiora stricta purpurea, apice subulata albida; antherae ovatae minutae flavae; stylus filiformis supra medium inclinatus, versus apicem subulatus; stigma simplex acutiusculum minutum; fructus obovati, calycis limbo vegeto viridi conniventi coronati primo albidi, dein purpurei; semen unicum grossum subglobosum. — Species haecce cum sequente vulgo: *Jamboe diepa* dicitur.

Jambosa malaccensis DeC.

Quoad spec. cf. spec. anteced. DeC. Prdr. III. 286. 6. (Myrtus Bl. Bydr. 1083. [quae forsan ad priorem ducenda?]) Jambosa domestica Rmph. amb. I. t. 37.? Rheed. mal. p. 29. t. 18. — Folia ovato- aut oblongo-lanceolata longiter obtuseque acuminata nunc obovato-oblonga obtusa 5—9 poll. longa 2—3 poll. lata; flores albidi iis *J. samarangensis* fere majores.

Jambosa acuminatissima Hsskl.

Quoad spec. cf. Hsskl. Diagn. nov. 147. Catal. hrt. bog. 1169. 4. Syzygium? DeC. Prdr. III. 261. 23. Myrtus Bl. Bydr. 1088.

Arbor alta; rami teretes cinnamomei; folia opposita oblonga s. oblongo-lanceolata basi acuta, apice longiter acuminata 3 — 4,5 poll. longa 1 — 1,3 poll. lata, acumine vix 0,5 poll. longo obtusiusculo, lucida utrinque glaberrima tenuiter transverse parallelo-venosa, venis margine confluentibus; inflorescentia terminalis corymboso-paniculata trichotoma; flores plerumque 3-ni rarius bini aut solitarii; rhachis et pedunculi tetragoni glabri, pedicelli minimi vix semilineares dein fructigeri aucti 0,1 — 0,2 poll. longi; calyx, corolla et genitalia generis (Endl. Gen. 6324.); petala alba; antherae minutae ovato-subglobosae incumbentes (filamenta in alabastro inflexa, antherae roseae minutae nitentes); fructus bacca oblonga alba glaberrima, 0,4 — 0,5 poll. alta, 0,20 — 0,25 poll. crassa, lobis calycinis carnosis conniventibus coronata, monosperma; semen globoso-subangulatum, cotyledones virides inaequales, plumula alato-compressiuscula versus marginem rosea, radicula subcylindrica. Nomen malaicum: *Kisemoet*, sundense: *Kisierüm* e voce *Ki* = lignum, *semoet* s. *sierüm* = formica.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0172-8

Jambosa cerasiformis Hsskl. Diagn. nov. 148. Catal. hrt. bog. 1169. 4.

(Eugenia? DeC. Prdr. III. 274. 93. Myrtus Bl. Bydr. 1087.) Nom. sundense: *Kitembaga.*

Jambosa samarangensis DeC. β. microcarpa Hsskl.

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 286. 2. (Myrtus Bl. 1084.) Jure DeCandollius monet hanc speciem nimis adfinem esse *J. venosae* DeC. l. c. 3., idque eo magis, quia in nostra racemi saepe breves pollicem vix superantes, subcorymbosi evadunt etsi saepe et axillares; folia opposita obtusiuscula hinc inde subacuta 4—6 poll. longa, 2,5—4,0 poll. lata, pariter quoque venoso-reticulata. Nom. sundense: *Djambu gulampo;* dum altera hujus speciei varietas *Dj. samarang* nominatur!

Cerocarpus (Hsskl.) **aqueus Hsskl.**

Quoad Genus cf. Endl. Gen. 6324/1. Hsskl. Diagn. nov. 149. Catal. hrt. bog. 1170. adnt.

Quoad speciem cf. Hsskl. Diagn. nov. 149. Catal. hrt. bog. 1170. 1. Myrtus javanica Bl. Bydr. 1084. nec Spr. cf. DeC. Prdr. III. 287. 9. Jambosa aquea Rmph. amb. I. 126. t. 38. 2. DeC. Prdr. III. 288. 17.? Wght. et Arn. Prdr. I. 332. 1034. excl. cit. Rmph. I. t. 39!, ubi Jambosa quaedam nec hoc genus describitur; autores clbrr. nostram speciem autopsia haud nosse videntur, nam nulla ad Careyam Roxb. (cf. Endl. Gen. 6326.) relatio mihi adparet et ipsi dicunt delineationem fructus optimam haud percepisse.

Folia basi cordato-subamplexicaulia, apice obtusa aut obtuse acuminata haud pellucide punctata 3—4 poll. longa, 1,5—2,0 poll. lata; racemi solitarii aut terni axillares 5—7-flori; calyx cum limbo campanulato 0,4 poll. altus; petala alba subrotunda diametro 0,25 poll., stamina iis longiora, stylus stigmate simplici (haud quadrifido! DeC. juxta delineationem inaccuratam Rumphii l. c.); fructus bacca forma Jambosae depressae turbinatae cujusdam, basi saepe costis elevatis rotundatis praedita, glaberrima laevissima splendens (ac si gummi esset obducta! Rmph. l. c.) rosea apice punicea (in reliquis cf. Rmph. l. c.); semina badia 0,25,0,2 et 0,1 poll. diametro. — Nomen genericum e κηρος (cera) καρπος (fructus) derivatum ob singularem fructuum pulchritudinem, quasi e cera sint confecti. Nom. malaicum *Djambu ajer* (Jambosa aquea), quo sub nomine magna eorum copia in foris venduntur.

Barringtonia macrocarpa Hsskl.

Quoad Gen. cf. Endl. Gen. 6326. Hsskl. Diagn. nov. 150. Wght. et Arn. Prdr. I. 333. et praesertim 334. adnot. ad *Careyam.* Embryum in utro-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0173-4

que genere (Endl. l. c. et 6326.) exalbuminosum laudatur, dum autores prodr. fl. Ind. embryum amygdalaceum haud in cotyledones et radiculam separabile dicunt, e stratis binis concentricis homogenis combinatum; Blume hoc pariter exalbuminosum pseudomonocotyledoneum dicit (Bydr. 1096. DeC. Prdr. III. 288.) Annon uti et in diversis aliis generibus, cotyledones cum albumine arcte connatae, ut sejungi utrumque nequeamus? (cf. adnot. hasce ad Parinarium glaberrimum Hsskl. pag. 585.).

Quoad speciem cf. Hsskl. Diagn. nov. 150. Catal. hrt. bog. 1171. 6. adn. Foliis cuneato-oblongis acuminatis obsolete crenato-serratis, racemo simplici pendulo, drupa (?) tetragona oblonga utrinque attenuata (fibroso-lignosa). Magna adest affinitas ad *Careyam macrostachyam* Jck. (DeC. Prdr. III. 295. 3.) quam Wght. et Arn. (Prdr. I. 333. 1037. adnot. et 334. adnot. ad *Careyam*) *Barringtoniam* habet, a qua autem differt foliis breviter petiolatis, cuneato-oblongis, racemis terminalibus haud densam florum pedunculatorum massam gerentibus et forsan fructu? — Barringtoniae (et Stravadia) DeCandolleanae (Prdr. III. 288. et 289.) hisce differunt: *B. speciosa* L. a nostra recedit foliis obtusis integerrimis et fructu pyramidato; *B. racemosa* Rxb. Bl. (e Rheed. icone citata) fructu obtusissime tetragono pyramidato (ovato Wght. Arn. l. c. 1037.); *B. alba* (Stravad.) fructu ovato (aut oblongo-rotundato nec tetragono Rmph. amb. III. p. 182. t. 116., quam Wght. et Arn. cum? ad sequentem ducunt cf. Wlp. Rprt. II. 192. 1.); *B. acutangula* corollae colore et fructu acute 4-angulato (et ejus forma reliqua ex icon. cit. Rheed. et Rmph.); *B. coccinea* corollae colore et foliorum fructuumque forma; *B. spicata Bl.* spicis filiformibus; *B. excelsa* Bl. foliorum forma et racemis compositis.

Descr. Arbor alta; rami crassi cinerascentes; folia ad apices ramulorum aggregata, hinc inde subverticillata; petioli breves semipollicares semiteretes crassissimi atrovirides glaberrimi margine subalati; foliorum lamina cuneato-oblonga coriacea 10 — 18 poll. longa, 4 — 6 poll. lata acuminata, obsolete serrulata margine subrevoluto, utrinque glaberrima lucida, nervis validis albescentibus; inflorescentia racemosa terminalis; racemus pendulus pedem et ultra longus, diametro horizontali 2,5 — 3,0 poll., flores plurimos aeque distantes gerens; pedunculi vix dimidium pollicem longi teretes glabri in tubum calycis turbinatum incrassati; calycis tubus germini adnatus glaber viridis, faux annulo epigyno flavescenti nitido clausus, limbus (in eodem racemo!) 3 — 4 partitus, tubi fere duplicis longitudine; laciniae ovatae patentes, dein erectae concavae glaberrimae margine subscariosae; corolla 4 — 5 — 6-petala; petala ima basi extus annulo epigyno inserta subcoriacea albida obovata concava margine saepius revoluta, calycis lacinias plus duplo superantia, 0,7 — 1,0 poll. longa patentia; stamina plurima annulo epigyno inserta ejusque partem interiorem cingentia; filamenta 4 — 6 seriatim disposita, basi omnia in

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0174-0

annulum 0,1 poll. longum connata, serierum 3 — 4 externarum fertilia filiformia exserta flexuosa 1,25 poll. longa, serierum 1 — 2 internarum sterilia setiformia brevissima; antherae minutae luteae subglobosae, dorso versus basin insertae lateraliter dehiscentes; germen imo calyci adnatum 4-loculatum; in loculo quovis gemmulae 5 — 6 (rarissime 2 — 4!!) horizontales angulo interno insertae centrifugae; stylus erectus filiformis, filamentis vix crassior, stigma simplex; fructus (in horto plerumque inevolutus, inde hoc loco fructum jam per longum tempus conservatum apice paulo mutilatum describere coactus sum) oblongus utrinque attenuatus apice acutus basi truncatus tetragonus, 5 poll. longus, 1,2 poll. diametr. transversali, latere quoque 1,0 poll. latus, coriaceo-fibrosus uniloculatus; loculamentum 2,7 poll. longum; semen loculamenti dimensione tetragonum dein exsiccatione quadrangulare utrinque paulo attenuatum, testa membranacea fusca; embryum aut exalbuminosum crassissimum aut potius tenue cum albumine amygdalaceo in massam unicam inseparabilem connatum, siccatione nunc 4-partitum. Nomen sundense hujus speciei uti totius fere generis: *Songgom.*

Gustavia valida DeC.

Quoad Genus cf. Endl. Gen. 6327., monenda haecce habeo: Calycis tubus vix turbinatus, limbus 4-lobus, petala 4 oblonga imo tubo staminum adnata; stamina longe monadelpha, germen 3 — 4-loculatum, gemmulae in loculis 2-seriatae; stylus longissimus, stigma obtusum!

Quoad spec. cf. DeC. Prdr. III. 290. 8. Bl. Bydr. 1096.

Arbor alta; folia nunc cuneato-oblonga, nunc (et plerumque) elliptica s. elliptico-oblonga in petiolum brevem decurrentia, acuta nunc acuminata nunc obtusa imoque retusa 3 — 7 poll. longa 2,5 — 3,7 poll. lato; petioli 0,5 poll. longi, 0,3 poll. lati; calycis tubus subturbinatus, obsolete 8-gonus, limbum longitudine aequans, 0,3 poll. longus; laciniae fere semiorbiculares erectae; petala viridiuscula flaccida reflexa 1,2 poll. longa, 0,5 poll. lata obtusa; staminum filamenta sanguinea ad et supra medium in tubum 0,5 poll. longum connata, supra libera albescentia filiformia flaccida torta 1,5 poll. (cum tubo) longa; germen imo calycis tubo adnatum, nectario (?) urceoliformi calyci adnato apice autem libero annuliformi coronatum 3 — 4-loculatum; gemmulae in loculo quovis plurimae 2-seriatae; stylus nectarium perforans filiformis flexuosus 2 poll. longus viridis; stigma obtusum.

(Continuabitur.)

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr06161-0175-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1844

Band/Volume: 27

Autor(en)/Author(s): Hasskarl C.

Artikel/Article: Plantarum javanicarum aut novarum aut minus cognitarum adumbrationes 583-595